inimicitiarum, publicæ justitiæ, etc. Saltem, quis non dicet, horrorem inquinandi manus humano sanguine magnum afferre incommodum, ad quod quidem præceptum caritatis non censetur obligare? Excipe casum, quo persona invasa esset persona necessaria ad bonum publicum. Excipit etiam *Sporer loc. cit. n.* 170. *cum communi*, ut asserit, si invasus sit Parens, Filius, Uxor, aut Frater, quia tunc obliget pietas ad eos tutandos. Rectè etiam excipit *Tourn. t.* 3. *p.* 281. *Coll.* 2. *cum Raynaudo*, si occidendus sit ebrius, et in statu peccati mortalis, quia is est verè in extrema necessitate Animæ.

391.—Dicendum II. Fas esse pariter occidere invasorem pudicitiæ, vel honoris proximi, si invasio fiat facto, scilicet percussione, etc. Secus, si tantùm per verba (ut dictum est supra *n.* 282.) Ita *Lugo D.* 10. *n.* 203. *Less. c.* 9. *d.* 13. *et Salm. n.* 96. *cum Bon. Fill. Dic. Trull. etc. contra Spor. n.* 169. qui id negat (sed minùs probabiliter) esse licitum, nisi persona, contumeliis affecta, sit conjuncta, ut supra, vel Princeps, aut Dominus.

Quando autem fœmina consentit, vel saltem, si positivè non resistit, non licet ejus pudicitiæ invasorem interficere, quia tunc non esset vim vi repellere. *Salm. n.* 97. Si verò fœmina sit tibi consanguinitate valde propinqua, dicunt *Less. Spor. n.* 173. et cum aliis *Salm. loc. cit.* quòd posses, etiam fœmina ad copulam consentiente, ejus invasorem occidere, si aliter tuam infamiam evitare nequeas. Hæc autem intelligenda ante factum, nam ipso facto, vel post, certè non licet occidere, ut patet ex prop. 19 damn. ab Alex. VII, quæ dicebat : « Non peccat maritus occi- » dens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. » Notant etiam *Less. l.* 2. *c.* 9. *art.* 88. *et Salmanticens. dict. c.* 1. *n.* 97. quòd non ideo licebit viro uxorem necare, si ipsa audacter velit adulterari, quia vir potest aliis mediis injuriam reparare, eam baculo percutiendo, vel adulterum minis abigendo. Adverte hìc autem illud, quod habetur in *c. Si verò* 1. *de Sententia excommunicationis;* ubi definitur, quòd percutiens clericum turpiter agentem cum matre, filia, sorore, et uxore, immunis est ab excommunicatione, sed non à culpa.

392. — Dicendum III. nos teneri ex caritate defendere etiam bona proximi, quando commodè possumus, aut cum levi nostra jactura, non verò cum gravi. *Bon. Trull. Dic. etc.* communiter *apud Salm. de Hom. c.* 1. *n.* 102. At, si aliquid expendimus pro defensione bonorum alicujus, possumus etiam occultè compensare. *DD. ib.*

Sed quæritur, an quis, ob tuenda bona proximi magni momenti, possit etiam occidere furem, si oporteat? DD. qui id negant ob defendenda bona propria, tantò magis negant ob defendenda aliena, ut *Gers. Sylo. etc. apud Salm. c.* 1. *n.* 80. Quia, dicunt, Caritas magis obligat ad tuendam vitam unius, quàm bona alterius. Sed contrarium tenent *S. Anton.* 3. *p. tit.* 5. *c.* 3. §. 15. *Less. l.* 2. *c.* 9. *n.* 88. *Lugo D.* 50. *n.* 202. *et Nav. Mol. Bon.* cum *Salm n.* 104. Ratio, quia vitam proximi præferre

debemus bonis alterius, quando ille est in necessitate involuntaria; non autem quando in necessitate sponte se constituit, ut pluries repetivimus in præsenti *Dubio*. An autem liceat expellere fœtum pro tuenda vita Matris, vide dicenda *Dub. seq. n.* 394. *Qu. I et II.*

DUBIUM IV.

An aliquando liceat occidere innocentem.

393. An unquam liceat occidere innocentem directè? — **394.** An aliquando liceat procurare abortum? Qu. I. An liceat matri sumere pharmacum directè ad fœtum inanimatum expellendum? An autem liceat mulieri oppressæ statim expellere semen viri aggressoris? Qu. II. An liceat matri sumere medicamentum directè ad expellendum morbum, cum periculo abortûs fœtûs animati? Qu. III. Quando censeatur prolis anima informata? — **395.** Qu. IV. Quibus pœnis subjiciantur procurantes abortum? Qu. V. An incurrant excommunicationem mulieres prægnantes, quæ abortum faciunt? — **396.** Qu. VI. An procurantes abortum in dubio de animatione fœtûs incurrant irregularitatem? — **397.** Qu. VII. Quis possit relaxare pœnas pro abortu inflictas? — **398.** Quando imputetur alicui ad peccatum homicidium casuale? An adulter, occidens adulteræ maritum aggressorem, incurrat irregularitatem? Et an incurrat, si, ipso prævidente, adultera occidatur?

393. — « Resp. Directa intentione, et scienter nunquam licet, » nisi Deus, omnis vitæ Dominus, concedat : indirectè autem, et » per accidens aliquando licet, utendo nimirum suo jure, et dando » operam rei licitæ, et necessariæ, ac tanti momenti, ut vitæ » æquivaleat. S. Th. et Doctores communiter.

Unde resolves :

« 1. Si Tyrannus minetur Urbi excidium, nisi innocens occi- » datur, id non licet directè. Neque valet, sicut membrum licet » abscindere pro salute corporis, ita et civem pro Repub. quia » homo est tantùm pars moralis Reipub. à qua non accipit esse, » et vivere sicut membrum corporis à corpore. *Mol. t.* 4. *c.* 3. » *d.* 10. *Less. Fill. etc.* * (*S. Th.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 6. *Salm. de* » *Rest. c.* 2. *n.* 52.) *

« 2. Potest tamen Respublica eo casu talem cogere, ut Tyran- » num adeat, et, si nolit, eum tradere : cùm ex caritate, et jus- » titia legali teneatur vitam exponere pro Rep. Unde, si id renuat, » fit nocens. Neque hoc erit cooperari ejus morti, sed tantùm » eam permittere; cùm traditio de se sit indifferens, et mors » tantùm sequatur indirectè, et præter intentionem Reipubl. » *Mol. l. c. Less. l.* 2. *c.* 9. *d.* 7. *Fill. tr.* 29. *num.* 11. *Laym. etc.* » * (*Sotus, Aragon. Turrian. etc. cum Salm. ib. n.* 58. dicunt, » non posse Remp. tradere illum invitum, quia cooperaretur ad » ejus mortem, quod est intrinsecè malum. Sed probabilior vide-

» tur prima sententia cum *Lugo D.* 10. *n.* 13. *et Busemb. Molin.* » *Less. Fill. ac Laym.* ut supra, quia videtur non posse negari, » quòd eo casu innocens teneatur se tradere, ut concedit idem » Sotus; si ergo ille se tradere tenetur, bene potest Resp. eum » tradere, si ipse culpabiliter recuset; tunc enim non est ampliùs » innocens, ut consentit *Tourn. t.* 3. *p.* 436. *cum Sylvio, Bann. et* » *Salon.*) * Limitat tamen *Lugo d.* 10. *de just.* si innocens sit » subditus, vel peregrinus teneatur mori pro Rep. aliena.

« 3. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per » viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus, » licet nihilominus (dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus, » ut monet *C. Lugo, et Escob. E.* 7. *c.* 8.) fugere cum ejus pe- » riculo, et interitu, præter tuam intentionem. *Less. n.* 58. *Fill.* » *n.* 36. * (*Salm. de Rest.* 1. *n.* 74 *et* 65. *cum Prado Vill.* » *Tapia. Sanch. Dic. etc.*) *

« 4. Similiter ad expugnandam urbem, et victoriam reportan- » dam, si necessarium sit, licet tormenta in eum locum dirigere, » ubi multi sunt innocentes: quia horum mors præter intentio- » nem sequitur. *Less. l. c.*

« 5. Non licet occidere obsides, etsi qui eos miserunt, non » servent fidem: quia sunt innocentes. *Bonac. t.* 2. *d.* 2. *q. ult.* » *sect.* 3. *p.* 7. *Dian. p.* 5. *l.* 4. *R.* 25. contra *Azor. etc.* »

394. — « Quæres, quandonam liceat procurare abortum?

« Quicumque malitiosè in se, vel altero, procurat abortum, » peccat graviter, sive fœtus sit animatus, quia est verum homi- » cidium, sive non, quia tendit ad occisionem hominis, et est » contra naturam generationis: *Lessius l.* 10. *n.* 61. Si tamen ad » vitam matris conservandam omnino sit necessarium, sequentes » Regulæ tenentur: 1. Si fœtus mortem matri allaturus sit » probabiliter, et necdum sit animatus anima rationali (ani- » mari autem communiter aiunt mares die quadragesimo, fe- » mellas verò octogesimo: quæ res valde incerta est), quidam » permittunt, etiam directa intentione expelli, ut *Sanch. l.* 9. » *de Matr. d.* 20. *n.* 9 *et* 10. *Henr. etc.* contra *Less. l.* 2. *c.* 9. » *d.* 16. et alios, quorum sententia in praxi suadenda: quorsum » enim directè expellas, cùm indirectè liceat, et sufficiat? 2. Si » verò fœtus sit animatus, materque judicetur moritura cum » prole, nisi medicinam sumat; licet eam sumere et secundùm » quosdam tenetur, intendendo directè suam tantùm sanitatem, » etsi indirectè, ac consequenter destruatur fœtus: quia in pari » necessitate mater potest magis prospicere sibi, quam proli. » 3. Si verò cum morte matris, spes vitæ, et baptismi prolis afful- » geat, tenetur mater, secundùm plerosque, sub mortali absti- » nere ab omni remedio destructivo prolis, quia tenetur vitam » corporalem exponere pro extrema necessitate spirituali in- » fantis. Contrarium tamen docet *Lud. Lopez*, quod *Sa, v. Cari-* » *tas*, dixit esse probabile. V. *Less. l. c. Sanch. Fill. c.* 29. » *q.* 1. *Bon. t.* 8. *art.* 3. »

Quæritur igitur I. An liceat matri in morbo extremo consti-

tutæ sumere pharmacum ad expellendum directè fœtum inanimatum? Certum est, quòd expellere fœtum, quamvis inanimatum, per se est peccatum mortale, et expellens *de homicidio tenetur*, ut dicitur in *c. Si aliquis de Homicidio*; quia, licèt vitam homini non adimat, proximè tamen vitam hominis impedit. Contra, certum est apud omnes licitum esse remedium præbere prægnanti, directè ad eam curandam, etiam cum periculo abortûs, si morbus est mortalis; secus, si non esset talis, ut rectè advertit *Tourn. t.* 3. *p.* 451. *R.* 2. Dubium fit, an tunc liceat dare ei pharmacum directè ad fœtum expellendum? *Prima* sententia affirmat, eamque tenent gravissimi AA. *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 20. *n.* 9. *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 4. *cum Sylv. Nav. etc.* item *Petroc. t.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 1. *Viva in prop.* 34. *In. XI, n.* 11. *Mazz. t.* 2. *p.* 470. *Habert t.* 7. *p.* 749 *et alii*. Ratio, tum quia, cùm fœtus ille sit pars viscerum, non tenetur mater eum servare cum tanto vitæ suæ discrimine, tum quia mater eo casu potest illum expellere tanquam suæ vitæ aggressorem; et licèt fœtus non sit aggressor voluntarius, non tenetur tamen mater negligere suam vitam præsentem, ad servandam vitam futuram prolis; maximè, quia, pereunte matre, fœtus minimè animabitur. Huic sententiæ favet *D. Antonin. p.* 3. *tit.* 7. *c.* 2. §. 2. ubi: « Si » autem puerperium nondum est animatum, posset tunc et de- » beret (Medicus) talem dare medicinam, quia, licèt impediret » animationem talis fœtûs, non tamen esset causa mortis alicujus » hominis: et hoc bonum sequitur, quia liberat Matrem à » morte. » Rectè verò excipit *Sanch. n.* 7. (idque asserit ut commune apud omnes, contra paucos aliquos) si dubium adsit, an fœtus sit, vel non animatus, eò quòd tunc intrinsecè malum est, innocentem positivè periculo necis exponere. *Secunda* sententia communior docet, licere quidem matri sumere medicamentum directè ad curandum morbum, etsi fœtus indirectè expellatur; non verò directè ad fœtum expellendum. Ita *Less. l.* 2. *c.* 9. *n.* 61. *Lugo de Just. D.* 10. *n.* 131. *Pont. de Matr. l.* 10. *c.* 13. *n.* 2. *Fill. t.* 2. *tr.* 29. *c.* 6. *n.* 140. *Cabass. l.* 5. *c.* 20. *n.* 8. *Tourn. t.* 3. *p.* 451. *Spor. de Matr. c.* 4. *n.* 704. *Card. in prop.* 34 *Innoc. XI, n.* 28. *Bon. de Rest. D.* 2. *p.* 7. *n.* 3. *Salm. de Rest. c.* 2. *n.* 62. *Croix l.* 3. *p.* 1. *n.* 825. *Holzm. de* 5. *Præc. c.* 1. *n.* 579. *Elb. de Matr. n.* 464. et alii plurimi. Ratio, quia, si nunquam licitum est expellere semen, etsi ejus abundantia mors timeatur, tantò minùs licebit expellere fœtum, qui est propinquior vitæ humanæ. Non valet dicere, fœtum inanimatum esse partem matris; nam respondetur, fœtum non pertinere ad integritatem corporis materni, sed esse inchoativè condistinctum individuum humanum. Excipe, ut bene advertunt *Spor. n.* 506. *et Holzm. l. c.* si fœtus esset corruptus, quia tunc non est jam fœtus, sed massa putrida, quæ ampliùs non est capax animationis.

Utraque sententia est probabilis, sed secundam, tanquam tutiorem censeo in casu nostro omnino amplectendam, cùm prima nihil ad praxim possit deservire, et frustra videntur circa eam

DD, desudare; ad quid enim (bene hîc ait *P. Busemb.*) velle sumere pharmacum, directè ad expellendum fœtum, cùm possit et sufficiat indirectè expelli? In duobus duntaxat casibus posset prima sententia in praxim deduci; primus casus esset, si mater aliàs parturiendo experta fuisset periculum mortis: at propter hoc non licet fœtum expellere, ut cum communi docent *Sanch. l. c. n.* 10. *Petrocor. d. q.* 1. *Az. c.* 4. *q.* 2. contra aliquos. Ratio, quia fœtus eo casu non est aggressor præsens, cùm periculum multùm sit distans, et poterit mater ex alia causa interim obire. Idque confirmatur ex alia doctrina communi, quam tradunt *S. Th. Nav. Caj.* et alii *ap. Sanch. n.* 2. *ex c. Aliquando* 22. *q.* 2 scilicet, nunquam licitum esse matri, ob quodcumque periculum, sumere potionem ad conceptionem impediendam. Secundus casus esse posset, quando mater, nisi fœtum expelleret, periculum occisionis à conjunctis, vel suæ famæ subiret; sed hoc certè est illicitum ex Prop. 34. Innoc. XI, quæ dicebat: « Licet procurare » abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprenhensa gra- » vida occidatur, aut infametur. » Ratio, quia aliud est, quòd fœtus sit aggressor per se, et ab intrinseco; aliud quòd per accidens, et ab extrinseco: potest enim quisque occidere aggressorem, ne ab illo occidatur; nequit tamen occidere alterum, ne occidatur ab hoste.

Dicunt verò *Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 22. *n.* 17. *et Viva dict. prop.* 34. *n.* 17. quòd mulier, vi oppressa à viro, posset incontinenter semen receptum expellere, tanquam sui honoris aggressorem, ad infamiam vitandam; pariter ac licet viro nobili occidere invasorem, actu volentem eum fuste percutere (ut diximus supra n. 381.) quamvis hoc non liceat post percussionem impactam. Sed huic opinioni acquiescere nequeo: nam si mulier posset tunc expellere semen tanquam aggressorem sui honoris, posset etiam postea; quod ipsimet AA. non concedunt. Nec valet dicere cum *Sanch.* licitum esse mulieri eo casu continuò semen expellere, quia tunc semen non est adhuc in pacifica possessione uteri; nam, ut bene docet *Pont. de Matr. l.* 10. *c.* 3. *n.* 1. statim ac vir semen effundit, fœminæ matrix illud recipit, et clauditur. Et hoc negari non potest ab ipso *Sanch. lib.* 9. *D.* 16. *n.* 3. *cum Salm. de Matr. c.* 13. *n.* 75. *Spor. de Matr. c.* 2. *n.* 493. et aliis communiter (vide *de Matr. l.* 6. *n.* 927.) qui dicunt non peccare mortaliter uxorem, quæ reddit debitum, ipsa incuba; ideo quidem, quia (ut mox dictum est) matrix mulieris clauditur statim ac semen excipit; aliàs illud statim effunderetur, et frustraretur, et idcirco esset procul dubio peccatum mortale; hinc rectè dicunt *Salm. l. c. n.* 75. quod non peccaret uxor, si ex aliqua justa causa se erigeret continuò post receptum semen, nisi hoc faceret pravo animo illud disperdendi, ut dicit etiam *Sanch. l.* 9. *D.* 20. *n.* 3. Bene autem admittimus id, quod dicit *Sanch. l.* 2. *D.* 22. *n.* 17, nempe, quòd mulier vi oppressa licitè possit se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset effundendum; quia hoc per accidens et ob solam malitiam viri

eveniret. Unde bene concludit *Croix l.* 3. *p.* 1. *n.* 824. *cum Carden.* esse quidem licitum fœminæ invasæ repellere semen, ne immittatur; non autem ejicere, si jam sit immissum. Vide dicenda de *Matr. l.* 6. *n.* 954. *v. Dub.* 1.

Quær. II. An liceat matri sumere pharmacum, directè ad expellendum morbum, si inde timeatur indirectè abortus fœtûs animati? Respondetur: Si remedium directè tendat ad occisionem fœtûs, ut esset dilaceratio uteri, percussio ventris, etc. hæc quidem nunquam licent. Si autem tendat directè ad servandam vitam matris, ut esset purgatio corporis, scissio venæ, balneum, etc. hæc certè licita sunt, quando aliter, certò moraliter judicatur mater cum prole moritura. Ita *Habert t.* 7. *p.* 748. *et Tourn. tom.* 3. *p.* 451. *R.* 4. *cum communi.* Sed quæstio est, an liceat matri sumere medicamentum, quando dubitatur, an perеunte matre, proles possit supervivere, et baptizari. Affirmant *Holzm. de* 5. *Præc. c.* 1. *n.* 79. *Salm. de Rest. c.* 2. *n.* 66. *cum Prado;* quia (ut dicunt) obligatio mortem perferendi, ad procurandam vitam æternam proximi in extrema necessitate constituti, tunc solùm adest, quando constat, jacturam temporalis vitæ esse absolutè necessariam ad vitam spiritualem alterius (ut etiam aiunt *DD. cc. et alii ap. Salm.* generaliter loquendo); non autem, quando salus spiritualis proximi est incerta, prout in casu nostro de ea multipliciter dubitari potest. Et huic opinioni videntur favere *Sanchez de Matr. lib.* 9. *D.* 20. *n.* 17. *et Ronc. d.* 5. *Præc. c.* 2. *q.* 3. dicentes, tunc solùm illicitum esse remedium sumere cum periculo vitæ prolis, quando certum, vel saltem probabiliùs est prolem vivam edendam. Sed huic sententiæ nec valeo acquiescere; nam sicut, quando certa est mors prolis, si mater medicinam sumat, et aliàs est certa mors matris, si à medicina abstineat, tenetur utique mater ex ordine caritatis abstinere à medicina, et præferre suæ vitæ corporali vitam spiritualem prolis: sic etiam ex eadem caritate tenetur abstinere, quando dubitatur de salute matris, et prolis, ut rectè ait *Tourn. de* 3. *p.* 450. *Concl.* 2. *et p.* 252. *R.* 5. *cum Habert.* Nisi æquale sit periculum abortûs, sive medicina sumatur, sive non; quia tunc sine majori fœtûs periculo justè consulitur vitæ matris. Et etiamsi mors matris esset moraliter certa, si non sumat remedium, nec etiam tunc auderem ei medicinam permittere, si aliqua rationabilis spes affulgeret, quòd mortua matre proles superviveret et baptizari posset: quia nemini licet, ad tuendam suam vitam temporalem, positivè exponere proximum in necessitate constitutum, periculo mortis æternæ. Secus verò puto dicendum cum *Elbel. Petrocor. t.* 2. *d.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *q.* 2. *et Tourn. p.* 451. *R.* 3. *cum Sylvio, Hab. Comit.* et communi, si nulla spes rationabilis esset de vita prolis post mortem matris, ita ut possit illa deduci ad baptismi gratiam; quia tunc non videtur caritas obligare matrem in extrema necessitate positam, ut vitam suam negligat, à remediis abstinendo, ob exiguam et remotissimam spem vitæ prolis. Hinc rationabiliter dicunt *Salm. n.* 65. medicos in hoc casu,

quoad pharmaca præstanda matribus, non esse scrupulosè angendos, eo quòd probabiliissimum sit id, quod dicunt iidem *Salm. ac Sanch. d. numero* 17. *Lugo D.* 10. *num.* 135. *Ronc. dict. q.* 3. rarissimum esse casum, et moraliter impossibilem ut pene miraculum sit, quòd pereunte matre proles supervivat, ut baptismum recipere possit. Idque mihi confirmarunt plures artis medicinæ periti, quos consului; quia, matre laborante lethali morbo, humores corrumpuntur, et inficiunt fœtûs alimentum. An autem Mater teneatur pati incisionem ventris, ut proles baptizetur? Vide dicenda *Tom. IV. l.* 6. *n.* 106. *v. Omnino.*

Quær. III. Quandonam censeatur prolis anima informata? Damnata fuit prop. 25. ab Innoc. XI quæ dicebat : « Videtur » probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima » rationali, et tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur; ac consequenter in nullo abortu homicidium committi. » E converso malè dixerunt aliqui, fœtum in primo instanti, quo concipitur, animari, quia fœtus certè non animatur antequam sit formatus, ut colligitur ex S. Scriptura, *Exod.* 21. ubi juxta versionem 70 dicitur : « Qui percusserit mulierem prægnantem, et » illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro » anima, si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia. » Certum est itaque, fœtum non statim animari : Hinc *Less. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 65. censet ex Hippocrate, masculum ad summum animari die 30, vel 35, vel 40, vel 45, fœminam verò die 35, vel 40. vel 45, aut 50. Et idem sentiunt *Lugo D.* 10. *n.* 133. *et Bon. ac Fill. ap. Salm. c.* 2. *n.* 59. Attamen *Bus. ut supra n.* 394. *Elbel de Matr. n.* 470. *et Salm. cum S. Th. Azor. Sylvest.* et communi, ut fatetur idem *P. Holzm.* dicunt, masculum formari, et animari spatio 40. dierum, fœminam autem 80. Et hanc sententiam sequi forum externum quoad pœnas homicidis inferendas testatur *Anacl. etc. apud Elbel n.* 470. Imò *S. Thom. dist.* 3. *q.* 5. *art.* 2. sic ait : « Maris conceptio non perficitur, nisi usque ad 49 diem, » ut Philosophus in 9 de Animalibus dicit : Fœminæ autem » usque ad 90. Sed in compositionem corporis masculi videtur » August. superaddere sex dies » Verùm *Tourn. t.* 3. p. 452. dicit, in hoc magis adhærendum Glossæ, et Theologis, qui fere cuncti (ut ait) censent mares die 40 animari, et die 80 fœminas : et hanc opinionem sequitur sacra Pœnitentiaria : cùm agitur de irregularitate et pœnis, ut ex *Nav.* tradit *Sylv.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *p.* 419. *in fine.*

395. — Quær. IV. Quibus pœnis subjiciantur procurantes abortum? Sixtus V anno 1588. Bullam edidit, quæ incipit, *Effrœnatam*, et habetur in Bullario *t.* 5. *p. mihi* 25. In ea Pontifex omnes *scienter* procurantes abortum fœtûs, sive animati, sive inanimati, et quocumque modo in hoc consentientes, vel præbentes mulieribus venena sterilitatis, subjecit cunctis pœnis, quæ debentur homicidis de jure Civili, et Canonico, ut sunt privatio omnis privilegii clericalis Dignitatis, aut Beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum obtinenda :

insuper præsertim imposuit eis irregularitatem, et excommunicationem, ipso facto (effectu secuto) incurrendas, quarum dispensationem, et absolutionem Romano Pontifici reservavit. Attamen Gregorius XIV, in Bulla, *Sedes Apostolica*, edita ann. 1591 abstulit irregularitatem, et excommunicationem pro abortu fœtûs inanimati : reliquit verò tam irregularitatem, quàm excommunicationem Papæ reservatas pro abortu fœtûs animati; sed quoad excommunicationem, concessit facultatem ab ea absolvendi tam Episcopis, quàm aliis, ab ipsis specialiter ad hos casus deputatis. (Hanc facultatem absolvendi habent etiam Mendicantes; Vide *l. n.* 99.) Cùm autem Sixtus excommunicationem inflixerit tantùm *scienter* abortum procurantibus, excusat ab illa ignorantia etiam crassa, ut docent communiter DD. cum *Sanch. de Matr. l.* 5. *D.* 32. *et aliis*, ut dicetur *l.* 7. *n.* 47. An autem excuset ignorantia affectata? Vide *ibid. n.* 48. Et idem videtur dicendum de irregularitate ibi imposita, juxta probabilem sententiam, quæ adducetur *eod. l.* 7. *n.* 351.

Quær. V. An incurrant excommunicationem mulieres prægnantes, quæ abortum sibi procurant? *Prima* sententia communisima affirmat cum *Viva. in Prop.* 34. *Innoc. XI. n.* 18. *Bon. de Rest. D.* 2. *q. ult. sect.* 1. *p.* 7. *n.* 6. qui dicit, hanc esse usu receptam, et *Sporer. de Matr. c.* 4. *n.* 718. *cum Fill. Dic.* qui eam tenet ut certam. Rationes sententiæ hujus mox referentur in expositione secundæ sententiæ subsequentis. *Secunda* autem sententia valde probabilis, et, attenta ratione intrinseca, probabilior negat cum *Avila de Censur. p.* 2. *c.* 5. *D.* 3. *dub.* 12. *Lezana t.* 3. *v. Abortus, n.* 11. *Salm. de Rest. c.* 2. *n.* 70. *cum Naldo, et Alph. de Leone.* Eamdemque tenent *Lugo Resp. Mor. Dub.* 4. *n.* 4. (ait tamen hîc standum esse usui communi, si iste aliter Bullam explicuit), et non improbabilem vocat, imò enixè tuetur *Ronc. de* 5. *Præc. c.* 2. *q.* 6. Tota hujus dubii resolutio pendet ex verbis Bullæ *Effrœnatam* in præcedenti quæst. IV enuntiatæ Sixti V. in qua prædicta excommunicatio inflicta est contra procurantes abortum. Dicunt DD. contrarii, in fulminatione excommunicationis præfatæ satis expressè comprehendi etiam prægnantes, quia in §. 1. Bullæ dicitur : « Ac etiam præ» gnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint. » Item in §. 5. Pontifex loquens de venenatis potionibus sterilitatis, inquit : » Ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula sponte ac scienter » sumpserint. » Sed respondetur, in utroque paragrapho Pontificem patenter loqui (ut sedulò in Bulla observavi) tantùm de pœnis temporalibus contra homicidas statutis; nam, cùm deinde Papa gradum facere voluit ad pœnas spirituales, præsertim ad præfatam excommunicationem infligendam, in §. 7. sic subdit : « Insuper ut, immanissimi hujus delicti gravitati non solùm temporalibus, verùm etiam spiritualibus pœnis prospiciamus, et consulamus, omnes et singulos, cujuscumque gradûs, ac statûs, » etc. qui, vel quæ utì principales, vel ut sociæ, ad tale facinus » committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel

alia medicamenta scienter dederint, etc. » Loquendo hîc igitur Pontifex de pœnis spiritualibus, non nominat mulieres prægnantes, sed tantùm eos, vel eas, *qui, vel quæ dant opem, consilium, etc.* Instant adversarii, et dicunt, saltem in hoc §. 7. comprehendi prægnantes, cùm ibi dicatur : « Qui, vel quæ utì » principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum, etc. sed rursus respondetur, hîc sub nomine *principales* non quidem intelligi ipsas prægnantes, sed principales cooperatores, qui opem, vel consilium, aut medicamenta præbent, ad distinctionem sociorum, quæ ad abortum mediatè concurrunt. Et revera nullo modo hîc intelligi possunt prægnantes, nam aliàs Pontifex non dixisset, *qui, vel quæ etc.* Quomodo enim masculi possunt medicamentum sumere ad procurandum abortum mulierum? Rationem autem, ob quam Papa exemisse præsumitur prægnantes ab hac excommunicatione, verosimiliter opinantur eam *Lugo, et Salm. cum aliis ut supra*, quia fortè compassus est infirmitati fœminarum, quæ, dum impulsæ à vehementi timore damni obventuri hæc medicamenta sumunt, et, dum à tanto facinore non abhorrent, facilè etiam excommunicationem parvi penderent, et ideo Pontifex, ad vitandum novum animæ laqueum, et alia pericula, præsertim sacrilegarum Confessionum, eas noluit comprehendere. Saltem ait *Ronc. l. c.* cùm dubium sit, an hæc excommunicatio lata sit etiam contra prægnantes, valde probabiliter ipsæ ab ea excusantur, juxta quæ dicemus *l. 7. de Censur. n. 67.*

396. — Quær. VI. An procurantes abortum irregularitatem incurrant, in dubio, an fœtus sit, vel non animatus? *Prima* sententia affirmat, quam tenent *Salm. de Censur. c. 7. num. 19. et de Rest. c. 1. n. 59. Vica. in prop. 34. damn. ab Innoc. XI, n. 18. cum Sanch. Mol. etc. ap. Elbel. de Mart. n. 479.* Ratio, tum quia in omni homicidio dubio incurritur irregularitas, prout habetur ex *c. Ad audientiam de Homic. et c. Significasti*, ac *c. Petitio. eod. tit.*; tum, quia in dubio fœtus præsumitur masculinus. Hinc dicunt, quòd procurans abortum post 40. dies, habendus est ut irregularis; sic enim aiunt *Fill. et alii apud Tamb. l. inf. citando* judicari in foro externo, et sic etiam servari in S. Pœnitentiaria. *Secunda* tamen verior sententia negat, eamque tenent *Tamb. Dec. l. 1. c. 3. §. 6. v. Irregularitas, et de Censur. l. 10. c. 5. n. 18. cum Præpos. et Giballin.* item *Moya. tr. 5. q. 6. cum Pell. March. Leand. et Verde, Elbel. loc. cit. cum Spor. Diana, Bardi. et aliis:* et idem sentit doctus Autor neotericus Libelli, cui titulus *Instruz. per li Novelli Conf. part. 2. c. 18. n. 464 et 465.* Ratio convincens, quia irregularitas non incurritur, nisi expressa sit in jure, ut dicitur in *c. Is qui, de Sent. exc. in 6.* (Vide dicenda *l. 7. n. 345.*) In hoc autem casu irregularitas nullibi habetur expressa; nam, licèt in præfatis textibus imposita fuerit irregularitas aliquibus, de quibus dubitabatur, an ipsi fuissent, vel non, causa homicidii, homicidium tamen erat certè commissum. At in nostro casu, cùm dubia sit animatio

fœtûs, dubia quoque est patratio homicidii; hicque casus nullibi quidem est expressus in jure, et ideo procurans abortum non est habendus irregularis. Quid verò dicendum, si dubium esset, an aliquis suo consilio vel opera ad mortem certam fœtûs jam certè animati cooperatus fuerit? Vide dicenda *l. 7. n. 371.* Nulla autem præsumptio esse potest (ut sine fundamento asserunt *Salm.*) quòd fœtus sit masculinus; imò potiùs præsumi potest fœmineus, quia ex frequentiori eventu, ut audivi, amplior est numerus fœminarum, quàm masculorum; saltem de hoc utrimque æquè dubium est. Addit non improbabiliter *Tambur. l. c. in Dec.* quòd possessio in hoc casu stat pro priori statu, priùs enim fœtus est inanimatus, quàm animatus. Hinc valde probabile est, ex dictis supra in quæst. III, non censendum irregularem, saltem in foro interno, qui intra 80 dies à fœtûs conceptione abortum procuravit. Quod autem hîc dicitur de irregularitate, dicendum etiam de excommunicatione, juxta dicenda *l. 7. n. 67.* et de aliis pœnis, ut bene ait *Elbel l. c.*

397. — Quær. VII. Quisnam pœnas pro abortu commemoratas valeat relaxare? Quoad excommunicationem pro abortu fœtûs animati, jam diximus ex Bulla Greg. XIV solos Episcopos, et alios, ab eis specialiter ad hos casus deputatos, posse ab ea absolvere. Sed dubium fit, an possint absolvere Confessarii, qui generalem facultatem ab Ordinario habent absolvendi ab omnibus casibus ipsi reservatis? Negant *Salm. de Rest. c. 2. n. 67. Dian. part. 7. tract. 5. R. 15 et 19. Ronc. de 5. Præc. c. 2. q. 5. R. 1 et alii*, dicentes, requiri deputationem specificam ad hunc casum abortûs. Idque arguunt ex verbis præfatæ Bullæ *Greg.* relatis à *Bon. tom. 3. D. 2. q. 2. p. 10. n. 15* ubi dicitur : « Quilibet Presbyter tam secularis, quàm cujusvis Ordinis re» gularis, ad Christi Fidelium Confessiones audiendas, et ad hos » casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam et » liberam in foro conscientiæ tantùm absolvendi habeat facultatem. » Sed valde probabiliter affirmant posse absolvere idem *Bon. l. c. n. 16. ac Viva Opusc. de Censur. q. 7. d. 1. n. 7.* et adhæret *Elbel de Matr. n. 471.* ac non improbabile putat *Sporer. de Matr. c. 4. n. 720.* Ratio, quia verba illa, *ad hos casus specialiter deputatus*, non referuntur ad casum abortûs, sed ad Confessarium; ita ut non possit quidem quicumque Confessarius ab hoc casu absolvere (ut falsò opinati sunt aliqui ap. *Dianam*), sed bene potest is, quem Episcopus specialiter deputat ad absolvendum fideles ab his casibus, vel speciatim exprimendo casum abortûs, vel generatim concedendo facultatem absolvendi ab omnibus casibus sibi reservatis. Et rectè aiunt *Bon. et Viva.* usum receptum sic interpretasse præfatam concessionem, cùm gratiæ largè interpretentur, et sic ipsemet firmè testor universe practicari in Missionibus, pro quibus, ad absolvendum ab hoc casu abortûs, contenti sunt Sacerdotes Missionarii, quòd Episcopi generaliter eis facultatem impertiantur pro cunctis casibus, ipsis reservatis.

Pariter, præterea, dicit multò probabiliter *Elbel d. n.* 471. ab hac excommunicatione posse etiam absolvere omnes Prælatos majores Regularium, jurisdictione quasi Episcopali gaudentes; sed tantùm subditos suos, pro quibus possint etiam alios deputare. Item addunt *Salm. tr.* 6. *c.* 13. *n.* 52. *cum Peyrin. et Pell. Spor. p.* 4. *c.* 4. *n.* 721. *et Elbel ib.* (qui asserit, in hoc satis communiter DD. convenire) quòd omnibus Confessariis Mendicantibus competat in foro interno facultas ab hac excommunicatione absolvendi; quia Pontifex, etsi negavit hanc facultatem Confessariis ab Episcopo non specialiter deputatis, non censetur tamen eam voluisse denegare Confessariis privilegiatis, quibus aliunde concessa est facultas in casus Papæ reservatos. Cæterùm post *prop.* 12 damnatam ab Alexandro VII certum esse debet (ut consentit idem *Elb. eod. l. et Cabass. T. I. l.* 1. *c.* 11. *n.* 5.) quòd, si alicubi Episcopus sibi reservavit casum abortûs, vel homicidii voluntarii, nullus Regularis poterit ab eo absolvere sine Episcopi licentia. Vide dicenda *T. VIII. l.* 7. *n.* 99. *in fin.*

Quòd ad irregularitatem autem pertinet, per se loquendo, solus Papa potest in ea dispensare, non verò Episcopi, etiamsi abortus esset occultus; quia in facultate eis concessa à Tridentino in *cap. Liceat* 6. *sess.* 24. expressè est exceptum homicidium voluntarium. Verùm quoad alias pœnas in Bulla Sixti inflictas, scilicet privationis Beneficiorum, et inhabilitatis ad ea, ad privationem requiritur quidem sententia condemnatoria, vel saltem declaratoria criminis, cùm sit privatio juris acquisiti, ut diximus *l.* 1. *n.* 148. utque hîc dicit *Elbel n.* 478. Quoad inhabilitatem autem dicimus, eam incurri ante omnem sententiam, juxta *dict. eodem n.* 148. et ut fusiùs dicemus *l.* 6. *n.* 705. (quidquid dicant *Sporer de Matr. c.* 5. *n.* 722. *et Elbel loc. cit.*) ; quia inhabilitas non privat jure acquisito, sed acquirendo. An verò Episcopi possint in hac inhabilitate dispensare? Concedunt *Elbel de Leg. n.* 642. *et de Matr. n.* 674. *ac Spor. p.* 4. *c.* 4. *n.* 722. et meritò censet non improbabile *Roncagl. de* 5. *Præc. c.* 2. *q.* 6. (contra *Anacl.*). Ratio, quia in omnibus pœnis, à jure generaliter latis, et non specialiter Papæ reservatis, possunt Episcopi dispensare, ut genericè loquendo communissimè docent apud *Elbel S. Bon. Scot. et alii.* Idque colligitur ex *c. Nuper* 29. *de Sent. excomm.* ubi, habito sermone de excommunicatione, dicitur : « Quo tamen » conditor Canonis, ejus absolutionem sibi specialiter non reti- » nuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. » Et *ib.* subdit Glossa : « Et hîc est argumentum Episcopos posse » dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et conces- » sum videtur, quod non est prohibitum. » Vide *dict. l.* 1. *n.* 191. et vide insuper dicenda *l.* 6. *n.* 980. *in Tom. VII.*

398. — Ultimò oportet hîc aliqua addere *de homicidio casuali*, multùm scitu necessaria. Dupliciter contingere potest homicidium casuale, vel dando operam rei licitæ, vel rei illicitæ. Unde has regulas dat *S. Th.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. dicens : « Secundùm jura, » si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens,

» et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. » Et hoc etiamsi (ut ex comm. notant *Salm. de V Præc. c.* 1. *n.* 133.) homicidium in causa prævisum fuerit. « Si verò (pro- » sequitur S. Doctor) det operam rei illicitæ...., non evadit » homicidii reatum. » Duæ igitur sunt regulæ, quæ in hac materia communiter assignantur. I. Quando quis dat operam rei licitæ, et ex ea per accidens sequitur homicidium, iste excusatur, etiamsi illud præviderit, modò non intenderit, et sufficientem diligentiam posuerit ad illud vitandum. II. Secus verò, si dat operam rei illicitæ, et homicidium prævideat; quia tunc, licèt illud non intendat, et diligentiam adhibeat, ne sequatur, non excusatur. Sed advertendum, quòd ad imputandum huic homicidium, non sufficit quòd opus sit per se illicitum, sed requiritur ampliùs, quòd sit illicitum præcisè respectu ad homicidium.

Hinc quæritur, quodnam opus dicendum sit propriè illicitum respectu ad homicidium? Omissis diversis sententiis super hoc dubio, rectè distinguendum est cum *Salmanticensibus loco citato.*

Et dicendum I. Quòd, si opus de se est frequenter periculosum, ita ut ex eo communiter mors accidat; tunc homicidium ei, qui illud ponit, semper imputatur, licèt quamcumque diligentiam adhibeat ad damnum præcavendum. Unde rei homicidii sunt, qui calce percutiunt mulierem prægnantem, vel eam terrefaciunt, ex quo abortus evenit; parentes suffocantes infantem in lecto; hominem mactantes jaciendo lapides funda, causa ludendi. Vide *Salm.* cum *aliis d. n.* 136. Hinc sancitum fuit *in c. fin. de Hom. in* 6. irregularem effici, qui mandarit aliquem verberari, licèt prohibuerit eum occidi, si mandatarius occidat. Dicendum II. Quòd si opus illicitum sit quidem periculosum, sed rarò, ita ut rarò ex eo mors eveniat; tunc sufficit ad excusandum, si diligentia apponatur ad eam vitandam, saltem in foro conscientiæ. Hinc excusatur ab homicidio Clericus, qui casu necaret hominem, dans operam venationi ferarum aliàs ei prohibitæ, si diligentiam debitam adhibuerit. Ita *Ronc. de Cens. c.* 3. *qu.* 3. *n.* 147. cum *Pal. Bon. Henr. Medin. etc.* Dicendum III. Quòd, si opus non sit de se periculosum, quamvis sit illicitum, nunquam imputatur homicidium illud exercenti, si casu ex eo mors eveniat. Putà, si Clericus tempore interdicti pulsaret campanam, et casu tintinnabulum cadens viatorem opprimeret. Item, si ex fornicatione commissa moriatur fœmina partu. Adde, si adulter cum discrimine inculpatæ tutelæ virum adulteræ occidat. Ita *Less. l.* 2. *c.* 9. *D.* 15. *n.* 13. *Salm. n.* 138. cum *Suar. Pal. Cor. etc.* Hoc tantùm certum est in ordine ad restitutionem.

In ordine verò ad irregularitatem, magna est inter DD. controversia, an evadat irregularis aduiter, qui occidit maritum aggressorem, ob inculpatam suæ vitæ defensionem? Communiter DD. docent, quòd, si adulter possit fugere, et non fugiens occidit maritum, non excusatur ab irregularitate. Ita *Salm. de Censur. c.* 8. *n.* 52. *et Sporer de V Præc. c.* 2. *n.* 181. qui asserunt hoc certum esse apud omnes. Ratio (ut rectè dicunt *Salm.*),

quia ipsi fugere in eo casu non est probrosum; et si fortè fuga aliquam ignominiam ei irrogaret, tenetur eam pati, cùm ipse in tales angustias sua culpa se immiserit. Sed quid, si non posset fugere sine periculo vitæ? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia absolutè affirmat, eum adhuc irregularitatem incurrere. Ita *Nav. Man. c.* 27. *n.* 238. *et S. Anton. Mol. Gutt. ap. Laym. l.* 3. *de Just. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 2. Et probant ex *c. Dilectus de Homic.* ubi dicitur, quòd dans operam rei illicitæ fit irregularis, si mors inde sequatur. *Secunda* sententia opposita absolutè negat eum incurrere; et hanc tenent *Sylvest. v. Homicidium*, 3. *q.* 4. *Bonac. D.* 7. *q.* 4. *Less. l.* 2. *c.* 9. *n.* 106. *cum Ban. Med. etc.* item *Avila, Sot. Tab. Leand. Dian. ac Henriq. apud Salm. l. c. n.* 49. Ratio, quia homicidium non provenit tunc ex adulterio, nisi per accidens; per se autem provenit tantùm ex injusta invasione mariti, cujus vim licitè potest adulter vi repellere ad suam vitam tuendam. Dicunt autem, præfatum textum in *c. Dilectus* intelligi, quando res illicita, cui datur opera, est proximè et per se periculosa homicidii, non verò, quando est periculosa per accidens et remotè, ut esset in hoc casu adulterium, quod esset potiùs occasio, quam causa homicidii, cùm ex illo rarò homicidium eveniat. *Tertia* sententia, quam tenent *Suar. D.* 46. *sect.* 1. *n.* 22. *Laym. l. c. Spor. ut supra n.* 182. *cum Fill. Roncagl. de Censur. c.* 3. *q.* 4. *et Salm. l. c. n.* 50. *cum Pal. Con. Vill. Corneio etc.* distinguit, et dicit, quòd, si adulter prævidendo invasionem mariti, temerè accedat, et illum occidat, tunc fit irregularis; secus, si accedat clam, et cum debita cautela, ne à marito inveniatur. Et huic sententiæ me adjicio, si periculum invasionis prævideatur proximum et facillimum, ut bene exprimit *Roncaglia*; quia eo casu adulterium est proximè periculosum homicidii: Secus, si periculum sit remotum, et adulter cautè accedat, juxta mox supra dicta. Et ita videntur omnes prædictæ sententiæ satis conciliari. Quid, si vir cognito adulterio, occidat uxorem, eritne adulter irregularis? Affirmant *Nav. et alii*, negant verò communiùs DD. *ap. Sporer num.* 82. Sed ipse *Spor. Laym. l. c.* eodem modo distinguunt, ut in præcedenti quæstione; eodemque modo ipsis consentio, si uxoris occisio proxima et facillima prævideatur; secus, si remota, et difficilis.

DUBIUM V.

DE DUELLO, ET BELLO.

ARTICULUS I.

Quid sit, et an liceat Duellum.

399. Quid est Duellum, et an unquam liceat ad illud provocare? Quid, si duellum esset fictum? — **400.** Quando liceat Duellum acceptare? Et an liceat illud indicere contra falsum accusatorem? — **401.** Quæ sint pœnæ Duello impositæ?

399. — « RESP. Duellum est duorum (vel subinde plurium) » certamen quod ex condicto, uno dicente, et altero acceptante, » suscipitur, ita ut id non sit vitam defendere, sed exponere pe- » riculo. Quod, etsi communiter sit mortale peccatum, licitum » tamen est ex justa causa, quæ semper est attendenda. Vide » *Trid. sess.* 25. *c.* 19. *de Ref. Sanch.* 2. *mor. c.* 29. Item de » pœna duellantium. Vide infra *n.* 401. »

Unde resolves.

« 1. Duellum non est licitum ad indagandam veritatem vel » justitiam, vel purgationem objecti criminis, aut litem termi- » nandam: quia est fallax, imò superstitiosum medium ad eum » finem, cùm etiam innocens homicidium, et facere, et pati possit. » *Trull. l.* 5. *c.* 2. *d.* 13. *n.* 12. * (*Et c.* 1 *et* 2. *de Purg. Vulgar. cum Salm. de V Præc. c.* 1. *n.* 18.) *

« 2. Neque ob inimicitias, aut ad injuriam vindicandam, » neque ob solam ostentationem virium, aut delectationem. »

Hîc quæritur, an liceat suscipere duellum fictum ad vitandam infamiam? Affirmant *Tamb. l.* 7. *c.* 2. *n.* 17. *cum Escob. et Boss.* Sed omnino negandum cum *Bus. et Salm. de* 5 *Præc. c.* 1. *n.* 180. *Elbel n.* 135. *Croix l.* 3. *p.* 1. *n.* 840. *Holzm. n.* 604. *cum com.* Ratio, tum ob vitandum scandalum aliorum; tum, quia Clemens VIII, in Constit. *Illius vires*, ann. 1592, hoc prohibuit, vetando *duella etiam non fatalia*. Et ideo non licet Ducibus permittere duella militibus, etiam contra hostes, ad ostensionem virium. *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 39. *num.* 12. *Salmant. ibid. n.* 180. *cum Navarr. Caj. Bon. Pal.*

« 3. Nec item ad evitandam ignominiam: quia apud bonos, et » prudentes honorem non perdet: imò nec apud alios, si provo- » canti dicat, se eum non æstimare dignum, quocum congredia- » tur, contra leges divinas, et humanas. Interim iturum se in- » dies liberè suas vias, paratumque semper fore, et nunc esse, » ut contra quemvis invasorem se tueatur. *Trull. l. c. n.* 4. » (* *Ita etiam Sanch. l. c. Salm. n.* 163. *cum Soto, Navarr. Azor. » Caj. et aliis. Damnata autem fuit Propos.* 2. *ab Alex. VII » quæ dicebat : Vir equestris ad duellum provocatus, potest » illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*) *

400. — « 4. Duellum licet acceptare, vel offerre ad conser- » vandam æstimationem exercitûs apud hostes, eoque debili- » tandos, vel ad terminandum bellum cum minore damno. V. » *Sanch. l. c.*

» 5. Acceptare item licet, si quis aliàs te occisurus concedat » tamen arma, ut sic fortunam experiaris; quia est tantùm de- » fensio, posito, quòd aliter non possis evadere. * (*Præterea » P. Cuniliati probabiliter sentit Tr.* 4. *c.* 9. §. 5. *n.* 3. *quòd, si » vir nobilis provocatur ad duellum, licitè respondere potest :* » Ego ut Christianus non possum acceptare duellum; tamen » paratus sum ad me defendendum contra injustos aggres- » sores.) * Similiter, si Judex duos ad mortem damnatos vellet